NOTA.

Sequens collecta: Et famulos tuos, *dici potest in Regnis Hispaniæ ex concessione Pii V. & Gregorii XIII. ab omnibus Sacerdotibus, tùm sæcularibus, tùm regularibus, tàm in Missis privatis, quàm cantatis, & conventualibus, quantuncumque solemnibus, tàm post primas Orationes, quàm Secretas, & Postcommuniones. Et novissimè ex Decreto Sacræ Rit. Congregat. 13. Julii 1675. à prædictis dici potest sequentibus verbis.*

ET famulos tuos Papam nostrum N. Antistitem nostrum N. & Regem nostrum N. Reginam, & Principem cum prole Regia, populo sibi commisso, & exercitu suo ab omni adversitate custodi : pacem, & salutem nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam : & gentes Paganorum, & Hæreticorum dexteræ tuæ potentia conterantur : & captivos christianos, qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare, & fructus terræ dare, & conservare digneris.

Quando Missa habet unicam Orationem, dicitur immediatè post eam; si plures, post ultimam; semper sub eadem conclusione. Sed si Oratio concludit: Qui tecum, *terminabitur* : Per eumdem.

Si in Missa dicitur Oratio pro Papa, vel vacante Sede Apostolica, omittuntur verba pro Papa; idem de Antistite, Rege, Regina, vel Principe.

Quando in Missa dicitur Oratio : A cunctis, *Collecta dicitur sic*:

ET famulos tuos Papam nostrum N. Antistitem nostrum N. & Regem nostrum N. Reginam, & Principem cum prole Regia, populo sibi commisso, & exercitu suo ab omni adversitate custodi: & captivos christianos, qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare, & fructus terræ dare, & conservare digneris.

Quando dicitur Orat. Eccles. *dicitur sic*:

ET famulos tuos Papam nostrum N. Antistitem nostrum N. & Regem nostrum N. Reginam, & Principem cum prole Regia, populo sibi commisso, & exercitu suo ab omni adversitate custodi: pacem, & salutem nostris concede temporibus: & captivos christianos, qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare, & fructus terræ dare, & conservare digneris.

COLLECTA AD ADVERTENDA PERICULA TERRÆMOTUS.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui respicis terram, & facis eam tremere; parce metuentibus, propitiare supplicibus: ut cujus iram, terræ fundamenta concutientem expavimus, clementiam contritiones ejus sanantem jugiter sentiamus. Per Dominum, &c.

Secreta.

DEus, qui fundasti terram super stabilitatem suam, suscipe oblationes, & preces populi tui; ac trementis terræ periculis penitus amotis, Divinæ tuæ iracundiæ terrores, in humanæ salutis remedia converte: ut qui de terra sunt, & in terram revertentur, gaudeant se fieri sancta conversatione cælestes. Per Dominum, &c.

Postcommunio.

TUere nos Domine, quæsumus, tua sancta sumentes; & terram quam vidimus nostris iniquitatibus tremente: superne munere firma: ut mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum, &c.

NOTA.